

necessitatibus sublevandis servit; excellens religiosorum, quæ renuntians omnibus mundi curis, sollicitudinibus, possessionibus, totum se addicit cultu divino.

VII. Habet sacramenta, quæ gratiam homini conferant; sacerdotium item et sacrificium, qualia nulla unquam habuit religio. Sciendum, vero hominem per lapsum primorum parentum, non solum in intellectu, sed in voluntate etiam gravissime vulneratum, adeoque non solum cæcum, sed etiam debilem factum esse. Quare non sufficiebat sola lex ad reducendum hominem in pristinam perfectionem (imo per legem postea pejores facti sunt homines, culpa sua juxta id: *Nititur in vetitum*) quia viam tantum ostendebat, vires ad ambulandum non dabat. Itaque gratia Dei necessaria erat, sine qua Dei mandata (ad longum saltem tempus) observare non poteramus, quin aliquando lethaliter delinqueremus. Hanc gratiam ut facilius et certo aliquo signo nobis pararemus, instituit Christus sacramenta, velut canales, per quos divinæ gratiæ aquam ad nos derivaremur; velut efficacissima pharmaca, quibus languorem et infirmitatem vulneratæ animæ curaremus; velut mare rubrum, in quo peccata nostra mergeremus. Atque hic est communis omnium sacramentorum effectus. Præter hunc cuique particularis alius est et diversus pro diversitate necessitatum humanarum. Baptismus enim regenerat hominem in vitam spiritualem, et tollit originale peccatum: confirmatio corroborat in fidei proposito: eucharistia nutrit, et vires ad perseverandum præbet: pœnitentia spiritualibus medetur infirmitatibus, quæ sunt peccata actualia: extrema unctio tollit reliquias peccatorum, et juvat hominem in mortis agone: ordo et matrimonium peculiarem præbent gratiam duobus in Ecclesia statibus clericorum et conjugatorum, utpote magnis periculis expositorum. Quæ vero unquam religio cæremoniam aliquam habuit, quæ animos expiare, cælestibus bonis ornare, et talibus præsiis armare posset?

Cognata sacramentis sunt alia duo pretiosissima munera Ecclesiæ a Christo relicta, sacerdotium et sacrificium. Sacerdotium continet duplicem potestatem prorsus divinam: potestatem condonandi peccata, et consecrandi eucharistiam. Quanta ista sunt? Plusquam illuminare cæcos, erigere claudos, excitare mortuos. Ipsa eucharistiæ confectio non absimilis est creationi. Sacrificium tam nobile est, ut non pretiosissima terræ munera, sed ipsum Dei Filium Deo Patri offerat. Quid hic aurum Arabiæ? Thus Sabæum? Hostiæ Judæorum? Nihil.

VIII. Ad veram felicitatem, et ultimum hominis finem perducit. Præcipuum quidem veræ

religionis munus est homines probos et virtute præditos efficere, non tamen hic conquiescit, sed ad beatitudinem contendit. Ut enim studiosi finis non est studium, sed scientia; nec agricolæ, terram colere, sed e cultura fructum percipere: ita finis religionis nostræ ultimus non est virtus, sed beatitudo. Ea vero duplex est, inchoata in hoc sæculo, et consummata in altero. Priorem in his tribus bonis constituit apostolus, ad Rom. XIV. cum ait: *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto*. Justitia est vita bona et sancta: *Hi enim soli tranquille vivunt, quæ nullius absurditatis sibi consci sunt*, ut dicitur Socrates, in melissa, p. II. ser. LXXX. A justitia oritur alterum bonum, pax nimirum conscientiæ bonæ: *Quæ exsuperat omnem sensum*, teste apostolo, estque: *Juge quodammodo convivium*, Proverb. XV. Ex hac oritur gaudium Spiritus sancti, quod in quibusdam tantum est, ut eos absorbeat et a sensibus abripiat; uti inter alios exemplo est S. Clara, quæ cum in festo epiphaniæ mirificam Dei consolationem accepisset, ita ut abreptos sensus eosque gaudium ebrios haberet, per multos dies sibi ipsi vim inferre debebat, ut quæ dicerentur percipere posset. S. item Bernardus, qui tempore novitiatus sui præ divinæ consolationis dulcedine ita a sensibus alienatus sæpe erat, ut nesciret quid gustaret, et sæpe unum pro alio per errorem sumeret, nec sciret ferè ubi locorum esset. Idem iste sanctus de seipso testatus est: « Nonnunquam, Domine, in mei cordis ore, quod ad te suspirat aliquid ponis, quod quid sit, mihi scire non convenit. Illius dulcedinem et suavitatem percipio, quæ tanta est, ut si in me perseveraret, nihil esset amplius quod desiderarem. » Sed nec hic consistit religio christiana, ad consummatam et æternam illam beatitudinem, quæ hominem Deo ipsi intime conjungit, omni bonorum abundantia perfundit et torrente voluptatis potat, tendit: quo et ut nos perducatur Deus, demus operam ut veri Christiani simus.

## CONCIO IX.

### MYSTERIA ET DOCUMENTA.

I. Cur dedit Deus Filium suum pro hominis redemptione? — II. Cur tot homines pereunt, si Christus venit ut omnes salvi fierent? — III. Sufficitne ad salutem credere? — IV. Quomodo is qui credit non judicatur? — V. Quomodo qui non credit jam judicatus est? — VI. Quid lux et tenebræ? — VII. Cur qui non obediunt evangelio condemnabuntur? — VIII. Quare plurimi diligunt magis tenebras quam lucem?

### THEMA.

*Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Joan. III.

Mirum in modum blandiuntur sibi hæretici nostri cum hodierno evangelio, quasi eorum fidem solidissime confirmet, et catholicam religionem evertat. Ecce inquit, hoc evangelium regnum cælorum in nostras manus tradit: Christus ipse dixit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Quid clarius dici potest? Unde in articulo mortis jubent sibi hæc verba prælegi, et subinde maximam devotionem, spem et consolationem concipiunt, ea exosculantur et amplectuntur. Sed viderint tamen, ne fallantur et ab hoc ipso evangelio cædantur. Id quod nunc ostendemus.

I. Quare dedit Deus Filium suum pro redemptione generis humani? Pretium scilicet longe excedens valorem rei emptæ? Resp. primo, ut ostenderet divitias bonitatis et misericordiæ suæ. Justitiæ suæ rigorem ostenderat in Lucifero et angelis ejus: misericordiam ostendere voluit in hominibus. Disce hinc ex primo misereri potius quam severus esse, juxta id Ps. C. *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine*. Prius misericordiam, postea judicium. Potuit Deus punire mundum, maluit redimere: sic poterat David in spelunca occidere Saulem hostem suum capitalem: sed pepercit illi oculus ejus, et noluit mittere manum in regem. Fac tu similiter.

Secundo, quia mors Filii Dei temporalis futura erat: mors vero generis humani æterna. Unde disce salutem et bona proximi spiritualia præferre commodis tuis temporalibus, adeoque vitam etiam quando per hoc servari potest anima, alioquin sine culpa sua peritura.

Tertio, ut hoc pacto nos provocaret ad mutuam charitatem et se redamandum, qui prior nos sic dilexit, quamvis inimicos. Efficacissimum amoris philtrum est: *Si vis amari, ama*. Dedit nobis Deus hoc philtrum, vè nobis, si non redamemus!

II. Cur tot homines pereunt, si Christus venit, ut omnis qui credit in eum non pereat? Resp. quia primo, multi non credunt fide viva. Hi enim secundum apostolum: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, ad Tit. 1. Venit quidem Deus quantum est in ipso, omnes salvos facere: sed non omnes acceptant eam salutem. *Quantum in medico est, sanare venit ægrotum*, inquit Augustinus, *ipse se interim, qui præcepta medici servare non vult*. Secundo, multi non credunt fide divina, sed humana tantum, ut hæretici. Utrique frustra blandiuntur sibi prædicta Christi sententia. Quid enim prodest magno

peccatori vel hæretico, recitare cum affectu sententiam illam in articulo mortis: *Sic Deus dilexit mundum, etc.* si interim maneat in sua pertinacia? Numquid si fur aut latro pronuntiaret moriens eam sententiam, non tamen pœniteret de peccatis, salvandum existimares? Licet itaque fidem, licet et spem habeas, studium tamen bene operandi per charitatem non adhibeas, frustra te consolaris. Unde David, Ps. XXXVI. ait: *Spera in Domino, et fac bonitatem*. Neque enim existimare debemus datum nobis esse a Deo Christum ut redemptorem tantum, cui fidamus, et non simul ut legislatorem, cui obediamus. Unde pulchre August. l. XV. de Trin. c. XVIII. *Fides, inquit, juxta apostolum, sine charitate esse potest, prodesse non potest*. Observanda igitur hic est philosophiæ regula; causas universales non communicare suas virtutes et influentias, nisi mediis particularibus. Ita videmus solem producere et enutrire omnes plantas, sed nisi agricola seminasset prius granum aut frumentum, seges non nasceretur. Ad eundem modum et passio Christi nostri redemptoris omnium bonorum spiritualium, quæ collata sunt unquam, aut in posterum conferentur causa est universalis: sed necessarium est, ut interveniat causa particularis, quæ est dispositio mea, ut per tale medium gratia et remissio, quam ille promeritus est in me conferatur.

III. Itane omnis qui credit in Christum, non judicatur, nec perit, sed habet vitam æternam, adeoque sufficitne sola fides, ad salutem? Resp. non sufficere, solius tamen fidei mentionem fieri. Primo, quia intelligitur fides perfecta et viva, quæ operatur per charitatem, et sperat per spem; sine his enim fides mortua est, teste S. Jacobo, c. II. Nam alioqui etiam: *Dæmones credunt et contremiscunt*, ut ibidem dicit Jacobus. Certum autem est dæmones reservari in judicium, nec quidquam eis proficere fidem. Non ergo de fide qualicumque, sed viva et perfecta loquitur Dominus. Sicut enim artium finis non est nuda contemplatio, sed industrium opus: sic per fidem non intelligitur nuda apprehensio, sed operatio quæ per eam fit. Et sicut quis dilatus dicitur per solum artificium suum: sic anus indocta et pauper per solam fidem dicitur venisse ad magnam sanctitatem et gloriam. In hunc enim sensum seipsum Dominus mox explicat, cum ait: *Qui facit veritatem, venit ad lucem*, id est, qui facit officium Christiani: sic enim dæmon dicitur non stetisse in veritate, id est, non fecisse quod erat angeli.

Secundo, quia fides est radix et basis aliarum virtutum et totius vitæ christianæ. Qui enim serio et sincere credit, ex vi et instigatione fidei promovetur et incitatur ad omnem virtutem et

bona opera; perinde ac si cui tendenti ad civitatem ostenderetur porta civitatis, sufficeret procul dubio, quoniam ad civitatem ducit. Fides autem est janua ad perfectionem christianam, et via ad vitam æternam. Unde Dominus in crastino evangelio ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Sed quid est Christum ingredi? Utique fide viva; nam ipse dixit: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata:* et apostolus 1. Cor. XIII. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Disce hinc non sufficere solam fidem (nisi qua excludit legem veterem, scientias, artificia, labores, curas, etc.) ad salutem: sed requiri fidem perfectam, quæ nimirum spei et charitatis opera includit. Alioquin enim fideles non sunt, secundum apostolum, qui: *Confitentur quidam se nosse Deum, factis autem negant.*

Tertio, solius fidei sæpe mentionem fecit, quia fere loquebatur cum incredulis, et infidelibus; quos ab infidelitate ad fidem trahere volebat. Quod si cum Turcis nos loqueremur, solam fidem illis suaderemus et inculcaremus, quia hanc novimus esse scholam perfectionis et virtutum; de operibus fidei mentionem non faceremus, quia hæc primum consequuntur fidem jam susceptam. Sic suadere solemus alicui ignoranti, ut tantum adeat hujus concionatoris conciones, vel hujus præceptoris scholam. Quod si cum fidelibus tantum locutus fuisset Dominus, haud dubie semper opera cum fide urisset, uti multis in locis fecit. Sane cum discipulis suis loquens raro fidei meminit, virtutes tantum eis inculcat.

IV. Quomodo is qui credit in Christum non judicatur? Resp. intelligendum hoc de judicio damnationis, non discussionis seu examinis. Cum enim duo sint actus judicii, examen et sententia damnationis; hinc judicari dicitur et qui examinatur, et rursus qui condemnatur. Condemnationem hic intelligit Christus. Unde colligitur errare eos, qui hinc colligunt judicium non futurum, eo quod fideles non sint judicandi, infideles jam judicati sint. Non advertunt enim judicium hic pro condemnatione sumi.

V. Quomodo is qui non credit, jam judicatus est? Resp. primo, quia certam damnationis causam, veluti laqueum collo jam impositum gestat. Sic reus gravium furtorum, postquam est convictus, dicitur jam damnatus. Resp. secundo, quia decreto divino et sacra Scriptura jam condemnatus est. Sic Adamo dixit Deus: *In quacumque die comederis, morte morieris.* In quem locum ait S. Chrysost. «Sicut in humanis judiciis, quando quis sententia lata ut capite mulctetur, iterum in carcerem conjicitur, et licet ibi multo tempore agat, nihil melius tamen

habet defunctis et mortuis, utpote, jam per sententiam mortuus: eodem modo et parentes nostri eodem die, quo mortalitatis sententiam acceperunt, tametsi longo tempore duraverint, nihilominus sententia mortui erant.» Resp. tertio, quia in divina præsentia jam condemnatus esse scitur. Unde Augustinus, tract. XII. in Joan. ait: «Nondum apparuit judicium, et jam factum est judicium. Novit enim Dominus, qui sunt ejus, novit qui permaneant ad coronam, qui ad flammam, etc.»

Disce hinc nullam injuriam facere nos hæreticis (qui vere sunt hæretici) si eos condemnemus, id est, condemnatos dicamus, et a cælo excludamus. Condemnat enim eos sacra Scriptura, adeoque Dei judicis sententia, vel hæc ipsa quam tractamus: *Qui non credit, jam judicatus est.* Ut ergo injuriam non facit reo jam per judicis sententiam condemnato, qui eundem mortis et supplicii reum asserit: ita nec is, qui hæreticum dicit reum gehennæ. Quare etiam apostolus expresse eos condemnat, II. ad Thesal. 1. cum ait: *Qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas.* Ecce illos etiam condemnat, qui licet credant evangelio, non tamen obediunt.

VI. Quid lux et tenebræ in hodierno evangelio? Resp. lux est Verbum Dei incarnatum. Ut enim in candela est ignis et cereus, in cereo cera et stупpa; ita in Christo est ignis divinæ Fili personæ, et natura humana, in hac est corpus et anima. Deinde, ut lux illuminat tenebras, et noctem quodammodo vertit in diem; ita Christus illuminavit mundum, tenebris ignorantiae et vitiorum undique oppletum. Denique, ut lux alios illuminando tandem consumitur: ita Christus dum errorum tenebras et Judæorum cordibus dispellere molitus est, incidit in eorum odium, et per mortem ab eis consumptus atque extinctus est.

Tenebræ sunt imprimis ignorantia, errores, idololatria, infidelitas, hæreses; quia hæc vitia intellectum obscurant et decipiunt, atque in lapsum et cœnum ducunt. Deinde, omnis generis peccata: primo, quia etiam reliqua peccata rationis judicium turbant. Unde Prov. XIV. dicitur: *Errant qui operantur malum.* Semper enim peccatum oritur vel ex errore, vel ex imprudentia, vel ex inconsideratione et inadvertentia aliqua rationis: ac rursus dum committitur ignorantiam adaugent et pervertit dictamen conscientiae per proclivitatem ad idem peccatum repetendum. Secundo, quia peccantes odunt lucem et quærunt tenebras. Unde Job, c. XXIV. dicitur: *Oculus adulteri observat caliginem dicens: Non me videbit oculus, et operiet vultum suum, perdit in tenebris domos, etc.* Tertio, qui ad tene-

bras inferorum exteriores atque æternas ducunt.

E contra opera bona dicuntur lux et arma lucis. Primo, qui amant lucem, Dei hominumque conspectum: secundo, quia manant a luce, id est, dictamine fidei et prudentiae: tertio, quia eandem lucem adaugent: quarto, quia alios illuminant et quasi lux sancti exempli coram aliis resplendent: quinto, quia oriuntur a Deo, qui est prima increataque lux omnia transcendens, illuminans, calefaciens, vegetans, vivificans, continens et ad se quasi sol convertens, ut ait S. Dionysius, l. de div. non. c. IV. et ex eo Corn. in ep. ad Eph. c. V.

VII. Quare infideles, et qui non obediunt evangelio, adeoque non vivunt juxta fidei præscripta, condemnabuntur in judicio? Respondet Dominus: *Hoc est autem judicium,* id est, causa condemnationis eorum, *quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem,* q. d. quia ego Deus in mundum veni, et accendi illis lucem veritatis ac virtutis: illi autem magis quæsierunt et amarunt falsitates, errores, mendacium et vitia. Quis autem nescit merito deserui et perire eum, qui in puteum obscurum et cœnosum lapsus, inde educi respuit? Atqui longe abominabiliores sunt tenebræ ignorantiae et lutum vitiorum. Mulctat pater filium et eiecit e domo, qui addiscere non vult bonos mores, nec recipere disciplinam. Cur non et Deus id facere creaturis suis debeat, quibus doctorem et pedagogum dedit Filium suum? Qui solis luci fenestras occludit, quo in tenebris domus suæ ambulans vasa frangere, somno tantum vacare et alia mala patrare queat, non tu eum plagi dignum dices? Id faciunt, qui evangelio non credunt vel non obediunt. Si cæcus in silva oberrans, ducem viæ nactus, illum se opponeret, et ducentem sequi nollet, quid de illo diceret? Omne genus humanum post lapsum Adami, in silvam ignorantiae et cæcitatem incidit: unde passim turpissime erravit, etiam in iis quæ scire omnino debebat: uti in providentia divina, in animæ immortalitate, in cognitione ultimi finis et mediæ viæ ad illum: ita ut M. Varro, teste D. Augustino, l. XIX. de civit. cap. 1. numeret ducentas et octoginta opiniones, seu potius deliramenta et errores hac de re. Præsumebant se invenire posse ultimum finem et beatitudinem in hac vita (alterius enim vitæ cognitionem non habebant) quæ tamen nihil est aliud quam immensum infinitarum miseriarum pelagus et mare continuis mutationibus perturbationibusque obnoxium. Quærebant beatitudinem in divitiis, voluptatibus et honoribus: et propterea in omnia vitiorum genera proruebant. Unde invehitur in eos Augustinus, l. IV. confess. c. XII. «Quo vos adhuc et adhuc, in-

quit, ambulate vias difficiles et laboriosas? Non est requies, ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis; sed ibi non est, ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis? Non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita?» Sic ille. Tanguntur et hic hæretici nostri, quoniam a crassissimis errorum suorum tenebris liberari nolunt, ideoque jure damnabuntur. Quid enim magis erroneum, quam Deum esse auctorem peccatorum? Homines non esse liberi arbitrii? Præcepta a Deo imposita esse impossibilia servatu? Bona opera nihil prodesse, imo obesse et esse peccata? Facilius et securius salvari nos posse malis operibus quam bonis? Christum non esse in eucharistia, nisi in sumptione, etc.? Demum vident jacere in cœno vitiorum, quæ fovet illorum secta. Viderint ergo qui inde erui nolunt: imo oculos claudunt ne videant hanc lucem.

VIII. Quare quam plurimi homines diligunt magis tenebras ignorantiae et vitiorum, quam lucem veritatis et virtutis? Nonne omnis homo a natura non degenerans, veritatem amat eamque scire super omnia desiderat? ut ait D. Thomas, in proœmio opuse. c. LXXIII. et Lactantius, l. 1. de falsa relig. c. 1. *Nullus suavior animo cibus est, quam cognitio veritatis.* Similiter nonne virtus est homini maxime connaturalis et amabilissima, vitium vero fœdum et abominabile? Ad hoc respondet Dominus: *Erant enim eorum opera mala. Omnis enim qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Delectabilis quidem est lux solis, sed non furi, nec vespertilionibus, nec feris quæ prædas agunt. Suavis quidem cibus esurienti, sed non corrupto palato. Ita veritas et virtus non aridet reprobis, quia eorum turpitudinem, levitatem, fraudes, dolos, sultitiam ostendit.

Sic etiam hæretici nostri temporis vident quidem se in tenebris versari; vident a longe lucem fidei veræ in Ecclesia catholica, ex plurimis argumentis palpabilibus: non tamen veniunt ad lucem, imo fugiunt conciones et conversationes catholicorum: nolunt quidquam audire de fide, nec legere libros nostros; partim quia nolunt videri errasse, partim quia amant vitia et voluptates, quibus sunt addicti et quibus renuntiare deberent, si catholici fierent: dormiunt suaviter in suis tenebris; partim qui nimium suo capiti credunt: unde certa esse putant, quæ contra catholicos a suis seductoribus audiunt, putant certissime eos committere multas idololatrias, superstitiones et errores, atque hoc ex mero odio erga illos. Omnes enim hæretici semper Ecclesiam persequuntur et accusare solent. Nostrum est Deum sedulo rogare tam pro illuminatione hæreticorum, quam pro nostra in fide perseverantia.

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

DULCIS HOSPES ANIMÆ SPIRITUS SANCTUS APUD QUOS HOSPITETUR.

I. Apud pauperes spiritu. — II. Apud contritum spiritu. — III. Apud humiles. — IV. Apud quietos et paucifcos. — V. Apud trementem sermones Dei.

## THEMA.

*Qui facit veritatem, venit ad lucem.* Joan. III.

Inter alios honorificentissimos titulos, quibus condecoratur ab Ecclesia Spiritus sanctus in hymno missæ hodiernæ, est non infimus, quo vocatur *dulcis hospes animæ*. Apposite ad id, quod habetur in hodierno evangelio, et applicatur Spiritui sancto dictum Christi Domini: *Lux venit in mundum*. Est enim et lux, cum mane perfundit aerem, et implet domos nostras, dulcis et gratissimus hospes hominum. Verum uti lux non ad omnes penetrat (neque enim cæcos, neque eos qui claudunt oculos, aut fenestrarum valvas, aut qui subterraneas subeunt specus, illuminat) ita et Spiritus sanctus non divertit ad omnes homines. Quemadmodum et columba a Noe ex arca emissa, non sedit in turbulentis fluctibus, non in cadaveribus, non in terra lutosa, sed in olea solummodo: ita et Spiritus sanctus non accipit suum hospitium in corde iracundo, neque in avaro, neque in obsceno; sed in pacifico, liberali et casto, et hujusmodi virtutibus aliis instructo. Quoniam igitur minime dubito paratos esse vestros animos ad accipiendum hunc talem hospitem, videamus qualia hospitia potissimum sibi deligat.

Id expressit Deus, Isa. LXVI. vers. II. dicens: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum et contritum spiritu*, (Septuaginta vertunt, *nisi ad humilem et quietum*) et *trementem sermones meos*? Quæ verba S. August. in Ps. CIII. concione II. et S. Bernardus, serm. III. super *Missus est*, ita referunt: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos*? Quare si jungamus septuaginta interpretum versionem cum vulgata nostra, reperiemus quinque hospitia, quæ potissimum exoptat, sibi que deligit Spiritus sanctus.

I. Primum, est pauperulus; non qui necessitate talis est, sed qui voluntate, et pauper spiritu contemptor divitiarum. Talis enim dum cor suum evacuat a mundanis cupiditatibus, gratum et idoneum Spiritui s. præparat habitaculum. Hac de causa per afflatum dedisse Chris-

tum apostolis Spiritum s. sentit D. August. I. II. contra epist. Parm. ex prophetia Isaïæ, c. XLII. dicentis: «Qui dat flatum populo, qui super terram et spiritum calcantibus eam.» Ita enim scribit: «Nonne flatum Spiritum sanctum in resurrectione, et dixit: Accipite Spiritum sanctum. Id autem, quod propheta dixerat: Qui dat flatum populo, qui est super terram, tunc evidentissime factum est, quando repleti sunt omnes Spiritu s. Qui et datus est, et datur eis, qui calcant terram, id est, contemnunt eam.» Ita ille. Non possunt simul stare spiritus proprius et Spiritus Dei. Hinc enim a sponsa dictum vult S. Ambr. in Cant. IV. *Surge aquilo, et veni auster*. Aquilo ventus septentrionalis, frigidus et austerus est: auster meridionalis, calidus et placidus. Unde Ambrosius per aquilonem intelligit spiritum diabolicum, per austrum vero divinum: *Ille ventus*, inquit in Ps. I. (auster scilicet) *aspirat, si Boreas ille gravis ventus flare desierit*. Præclare hoc B. Jordanus ordinis S. Dominici secundus generalis magister, suis insinuavit, cum in die pentecostes capitulum ingressus, breviculam ad fratres hanc exhortationem habuit, sed solidam et pondere plenam: «Hæc hebdomada, patres, crebro dicemus: Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Non ignoratis, quod si vas oppleri aliqua recenti re debeat, oportet id evacuatum reddi, quo antea erat oppletum. Sancti igitur apostoli repleti sunt a Spiritu sancto, quia evacuati erant a spiritu suo. Et hoc etiam in psalmo cantamus: Auferes spiritum eorum et deficient, a se scilicet, ut proficiant in te: et in pulverem suum revertentur, et sic emitte Spiritum tuum, et creabuntur, etc. quasi diceret David: Si tua gratia voluntatem propriam, et singularem ac privatam a se evacuerint amorem, tuo replebuntur Sancto Spiritu.» Ita in ejus vita Leander Albertus, apud Surium, 13. april.

II. *Contritus spiritu*, h. e. miser, afflictus, angustatus, et in miseria sua suspirans ad Deum. Talis enim sua desolatione, suisque suspiriis trahit ad se Spiritum s. uti apostoli et primi Christiani et una domo conclusi, continuo orantes, et ad promissum sibi Spiritum suspirantes, traxerunt eum ad se; qui proinde cum vento vehementi super eos venit, quasi dulce refrigerium omnium miserorum et afflictorum, qui nulla alia solatia a mundo sperare possunt.

qualia habent ii, qui mundana felicitate valla sunt. Hinc Eliu ad Job, cap. XXXV. ait: *Non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me? Qui dedit carmina in nocte? In quem locum D. Gregorius, I. XXVI. moral. c. XII. Carmen, inquit, in nocte est lætitia in tribulatione; quia etsi pressuris temporalibus affligimur, spe jam de æternitate gaudemus.* Qui terrenis recreantur solatiis, cœlestia a se excludunt, adeoque Paraclito, qui cœlestia affert solatia, locum non præbent, idcirco ejus solatiis non perfruuntur, quia vacua tantum viduæ illius vasa oleo impleta fuerunt, non ea, quæ aliis rebus plena erant, IV. Reg. IV. Oleum, quia lenit et ungit, Spiritum s. consolatorem et spiritualem ejus unctionem aperte representat. Hic ergo in illos homines, qui terrenis consolationibus destituti sunt, oleum consolationis infundit; cæteris vero dicitur: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*, Luc. VI. *Ægyptii*, quia non a cœlo per pluvias, raras valde eo loco, sed a Nili inundatione suorum irrigationem agrorum, adeoque fecunditatem expectant, cœlum nunquam aspiciunt. Ita qui mundanis irrigantur deliciis, cœlestes non curant nec desiderant; at vero pauperes et afflicti, quia a terra nihil solatii sperant, ad cœlum oculos ergunt, adeoque velut vacua vasa et sitientes agri replentur a Spiritu sancto. Similes hi sunt terræ promissionis, de qua Deut. XI. dicitur: *Terra, ad quam ingredieris possidentiam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi facti semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: sed montosa est et campestris, de cœlo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus semper unvisit, et oculi ejus in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus.* Quid aliud sunt pauperes Christi, nisi hujusmodi terra, quæ a solo cœlo suam expectat consolationis aquam? In hos respicit Spiritus s. hos rigat et fecundat, ut fructus proferant cœlo dignos. Hi cum Davide, spiritu paupere, dicunt: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*, Ps. CXLII. et Ps. CXVIII. cum suspirante ad cœlum: *Quando consolaberis me? Quia factus sum sicut uter in pruina*, h. e. aridus, exsuccus, sitibundus consolationis tuæ. Denique, cur non in Ægypto, sed in deserto primum Deus dulce manna dedit Hebræis? Nonne quia in Ægypto sedebant ad ollas carniæ et piscium, aliasque carnis illecebras? In deserto vero quia nihil talium aderat, ideoque ad cœlum suspirabant, manna acceperunt.

III. *Humilis*. Sed cur in humili corde requiescere vult Spiritus sanctus? Rationem reddit Eccles. III. § II. cum ait: *Humilia te coram omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur*. Superbi non honorant Deum, sed abjiciunt

et negligunt, solos se honorari volunt, uti Pharaon, Nabuchodonosor, Antiochus, Neanor et similes. Absit ut in tales se dimittat Spiritus sanctus; humiles invisit, quia ab ipsis agnoscitur, et debito honore excipitur. Possumus hoc miscere ex concione S. Petri, quam in die pentecostes habuit, in qua asserit, ex prophetia Joelis, cap. II. effundendum fuisse Spiritum s. super filios hominum, et quidem super servos et ancillas. Verbum effundendi similitudinem aquæ tribuit Spiritu sancto, unde Arabicus textus legit: *Inundare faciam spiritum meum*. Quis autem nescit aquam in montes non ascendere, sed demissa tantum loca petere: et quo demissiora sunt, eo majori impetu in ea descendere? Pari modo Spiritus s. non nisi humilia petit. *Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo*, ait S. Petrus, q. d. ut sciatis super quos homines descendurus sit Spiritus sanctus: super humiles nimirum et abjectos, quales sunt servi et ancillæ. Talis imprimis et præ omnibus fuit beatissima Virgo, quæ quia humillimam se agnovit Domini ancillam, ideo Spiritus s. mox impleta est. Unde Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Ecce vero? *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Uti discurret S. Bernardus, serm. 1. super *Missus est*: «Super quem, inquit, requiescet Spiritus meus humilem et quietum? Super humilem dixit, non super virginem si, nisi ergo Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset, sicut ipsa perhibet: *Respexit humilitatem ancillæ suæ Deus*.» Habemus hujus doctrinæ et in Josue præclarum testimonium. Etenim arca fœderis, cum remissa a Philisthæis esset in terram Israel, stetit in agro Josue Bethsamitæ, 1. Reg. VI. Sed cur in agro Josue sedem sibi fixit? Neque enim id casu factum: siquidem vacuæ eam trahentes, sicut peculiari Dei providentia ibant, ita etiam stabant. Unde bene Theodoretus, qu. XIII. ait: *Plaustrum, quod a nullo homine regebatur, habebat arcam, et onus et aurigam*. Ratio igitur cur in agro Josue arca quieverit, affertur ab Abulensi, quia: *Reputatus est a Deo vir justior cæteris*. Unde vero justior? An quia cæteris humilior? Certe ex Domini sententia, Matth. III. dicentis: *Sic decet nos adimplere omnem justitiam*, (h. e. humilitatem, ut exponit glossa) cum baptismum peteret, humilitas est justitia, et qui justior, humilior. Quis autem humilior duce Josue, qui cum duodecim tribubus suas in terra sancta portiones distribuisset, sibi omnium vilissimam, incultissimam et sterilissimam delegit civitatem Thamnatharaam? Jos. c. XIX. An quia cæteris rector et simplicior corde erat? Tales certe Deus super alios etiam amat, teste Sapiente, Prov. III. qui ait: